

**Scirrhi vaginae observatio : dissertatio inauguralis ... / auctor Mathias Cruse.**

**Contributors**

Cruse, Mathias.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1836.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/egrecwpu>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

~~XII~~ XII.

**SCIRRHI VAGINAE OB-  
SERVATIO.**

---

**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

*DIE XVII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI.*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

**MATHIAS CRUSE**

GUESTPHALUS.

---

**OPPONENTIBUS:**

L. PETRI, MED. ET CHIR. DD.

F. BAHLMANN, MED. ET CHIR. CAND.

C. GERBAULET, MED. ET CHIR. CAND.

---

**BEROLINI,**

TYPIS NIETACKIANIS.

✓

111

DEPARTMENT OF THE INTERIOR  
GEOLOGICAL SURVEY

DISSERTATION  
PRESENTED TO THE

BOARD OF AGRICULTURE  
AND MECHANIC ARTS

OF THE DISTRICT OF COLUMBIA  
IN CONNECTION WITH THE

AGRICULTURAL SURVEY  
OF THE DISTRICT OF COLUMBIA

BY  
JAMES H. HAYDEN

M. A.

WASHINGTON

1864

WILLIAMSON BROS. PRINTERS

WASHINGTON

OPPORTUNITIES

- L. PETER, M.D., ET CHIR. D.D.
- F. HANCOCK, M.D., ET CHIR. CAND.
- C. BERNARDINI, M.D., ET CHIR. CAND.

REVOLVING

TYPE SETTING

**V I R O**

**CELEBERRIMO, AMPLISSIMO,  
HUMANISSIMO**

**F. L. TRUESTEDT,**

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P.  
E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILIELMA,  
BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS IN-  
TIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS,  
MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COL-  
LEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, PO-  
LICLINICI INSTITUTI DIRECTORI, ORDINUM REGIO-  
RUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI,  
COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI  
ETC. ETC.**

**PRAECEPTORI**

**SUMME VENERANDO**

**HAS**

**QUAESCUNQUE PAGELLAS**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

---

---

## PROOEMIUM.

---

**Q**uem hic breviter enarravi morbi casum, in clinico medico-chirurgico observavi, quod viro Celeberrimo Professore Tru e s t e d t dirigente floret. Multa quidem et innumerabilia de iisdem, quae hisce pagellis tractabam, malis scripta et in lucem prolata sunt; symptomata autem, morbo jam multum temporis perdurante, obscura; eruptio morbi inter eam aetatem, quam morbi ejusmodi rarius

aggredi solent; causae prorsus incognitae hunc morbi casum, ni fallor, dignum reddiderunt, qui communicaretur.

Quapropter magno gaudio affectus sum, quod observationem hanc, permittente praeceptore summe venerando, dissertatione inaugurali publici juris facere potuerim.

---

---

### HISTORIA MORBI.

**J**oanna B., famula, e parentibus, ut videtur, omnino sanis nata, annum aetatis agit vicesimum quartum et hucusque optima sanitate fruebatur, ab illis ipsis, qui infantes aggredi solent, morbis, omnino immunis servabatur. Menses apparuerunt anno vitae decimo septimo semperque erant regulares, ita ut die quoque mensis sexto redire et per septem dies adesse sole- rent. Anno vicesimo primo gravida facta infantem peperit, auxilio artis non adhibito, viventem et sa- num. Ut graviditas, ita puerperium a regulis non aberravit; aegra autem nostra in posterum non de- nuo uterum ferebat. Regulares redierant menses et eadem, quae antea, bona valetudo semper aderat usque ad annum vitae vicesimum secundum. Hoc quidem anno aegram tetigit febris intermittens, qua fugata factum est, ut menstrua per septem menses



retenta fuissent. Tunc redierunt, adjuvante sola natura, nam mensium retentio omnino nullis conjuncta fuit molestiis. Aliquanto post aegrae fluor albus apparuit, ut videtur, benignus, qui vero, aqua quadam alba in vaginam immissa, evanuit, et neque dolores neque aliam molestiam reliquit. Denuo sana erat aegra per spatium anni unius, quo tempore regressus est fluor albus, cujus causam perscrutari non potui, vehemens valdeque ingratus. Hic quidem talem titillationem excitabat, qua pudendi regionem perpetuo terere, per noctem adeo unguibus sauciare coacta fuerit aegra. Frigoris insuper ac ponderis sensus ingratisimus in hisce regionibus aderat. Quo nunc morbo molesto affecta iter fecit cum domina ad oppidum prope Berolinum situm. Hoc autem loco paucis post diebus vehementissimum sanguinis e vagina profluvium intravit, etsi dies, quibus aegra menstruare solebat, nondum advenissent. Patientem nostram permagna sanguinis jactura valde debilitatam ab hoc tempore variae tetigerunt molestiae: dolores capitis, nausea perpetua, pervigiliae inprimis molestae. Plures adhuc menses aegra eodem loco commorata Berolinum rediit ibique auxilium petiit medicorum, qui vero, multis variisque remediis administratis, statum ejus morbosum non meliorem reddiderunt. Medicamina autem

fuerunt evacuantia, nam alvus tarda et dolori conjuncta mali haemorrhoidici dederat suspicionem. Ad sistendum fluorem album, injectiones factae sunt in vaginam. Neque vero finis malorum factus est, fluor enim albus pudendi regionem magis magisque corrodens, dolores, qui accesserant in regione ossis sacri, vehementissimi, ardentis, lancinantes, per aliquod tempus aegram tantopere vexabant, ut ne per unam quidem noctem somno gauderet. Dolores autem inter excretionem alvi apparentes aegra significat permagnos, quibus impulsa sit ipsa, regionem explorare digito dolentem. Tumorem invenit haud parvum, vaginae tenentem parietem posteriorem, quemque tumorem non solum in vagina, sed etiam, digito perinaeum premente, percipere potuit. Quibus omnibus ante actis, die XXXI. Decembris anni praeterlapsi auxilium petiit in clinico Professoris Truestedt.

### STATUS PRAESENS.

Aegrae statura mediocris, facies pallida, oculi splendentes, effigies tota, etsi ea valde dolentis, nulla tamen cachexiae alicujus signa praebet. Conditio corporis non mala, digestio bona, nullum febris signum,

nam pulsus quidem parvi sed nullo modo accelerati. Hoc tempore alvum conqueritur tardam, fluorem album atque tumorem vaginae dolore lancinante, intermittente, affectum. Exploratio statim instituta ostendit fluorem album valde copiosum, tumor etiam ab aegra significatus neminem fugere potuit. Hic quidem, introitus vaginae partem posteriorem occupans durus est, tantique voluminis, ut ad explorandam vaginam digitum curvari oporteat. Exploratio autem accuratius instituta declaravit, tumorem non modo esse durum, sed etiam inaequalem, tumulosum, in parte anteriore jam decolorem. Neque vero omnino medium tenet posterioris vaginae parietis, sed propagatur ad latus vaginae et labium pudendi sinistrum. In perinaeo etiam digito premente tumor ille percipi potest, qui resistantiam praebet non exiguam. Vaginae latus dextrum et anterius omnino sanum, et in latere sinistro spatium modo digiti unius et dimidii degeneratum est. Totus vaginae ambitus in posteriore tumoris parte prorsus normalis. Portio vaginalis, os uteri nulla ostendunt degenerationis signa. Intestinum rectum, eodem tempore exploratum, laeve, a mariscis omnino liberum, sed tumore significato coarctatum.

**DIAGNOSIS.****Scirrhus vaginae.**

Tumorum etsi variorum diagnosis res ardua sit tamque spinosa, ut viri expertissimi non raro errore capiantur, morbi tamen, quod dixi, nomen haud paucis argumentis confirmari credo. Nihilominus oportebit morbos, quibuscum scirrhi commutari solent, breviter adferri.

Primum teneat locum, qui vocatur morbus induratio benigna, quae vero induratio fere semper ex affectione anteacta inflammatoria originem trahit. Hoc ea praecipue de causa respiciendum est, quod plurimi auctores, scirrhi initium nunquam inflammatorium esse, dicant. Tumori nostrae autem aegrae nullum inflammationis signum antecessit. Dolores enim, qui jam initio morbi aderant, situ solaque sede tumoris excitati videntur, qui quidem excretionem alvi exoriebantur, qua factum est, ut rectum tumore coarctatum partesque vicinae premerentur. Dolores perpetuos, continentes aegra tum primum sensit, quam induratio haud parvos fecerat progressus. Praeterea dolores ab aegra significati indurationi scirrhosae sunt peculiare: ardentis, lancinantes et in partes vicinas procurrentes. Origo eorum tam occulta fuit,

ut aegra mali initium omnino nesciat. Quod ad tumoris qualitatem attinet, durities ejus quasi lapidea ab ea indurationis benignae prorsus abhorret. Tumoris insuper inaequalitas ejusque tubera indurationi illi non adaequantur. Ponderis etiam sensus, tumoris volumini nullo modo correspondens, qui morbis scirrhis peculiaris est, valde repugnat. Qui enim indurationi benignae adesse solet ponderis sensus, magis doloris inflammatorii modificatio est et deesse solet, si inflammationis signa desunt.

Qua igitur induratione rejecta, tumor ille confundi posset cum cystico aliusve generis tumore, durities vero lapidea, inaequalitas, tuberositas multaque alia plane dissentiunt. Fungus etiam, qui adhuc nominetur, multo alium, elasticum, fluctuationis non raro sensum praebere solet.

Consideratis atque rejectis, quae cum malo hoc commutari soleant, brevis instituatur recapitulatio symptomatum pathognomonicorum, quae sunt: initium morbi haud inflammatorium, ignotum; durities tumoris lapidea ejusque inaequalitas; dolores ardentes, lancinantes; frigoris atque ponderis sensus peculiaris.

#### AETIOLOGIA.

Causa scirrhi proxima omnino hucusque ignota

est. Sectio anatomica structuram, nihil autem de ratione primaeque originis conditione in lucem edidit. Ideo transeam ad causas remotas. Quod vero ad causas disponentes attinet, fere nullae apparent. Aegra e parentibus nata est prorsus sanis, neque quemquam familiae suae malo hujusmodi interiisse aut laborasse contendit. Aetas deinde scirrhorum origini non favet, qui quidem ante annos pubertatis fere nunquam, inter medios vitae annos rarius, sed plerumque in decrepitudinis periodo apparere solent. Perveni ad causas occasionales, quarum autores multas enumerant, nulla vero in hoc casu excellit. Omnium enim, ut: affectus animi deprimentes, curae, moeror, terror etc. nulla adfuisse videtur. Causae etiam locales: laesiones, contusiones, non apparent. Aegra etsi gravida fuerit, unquam tamen se in venere excessus fecisse negat. Nihil igitur restat, quam fluor albus supra expositus, quo bis aegra laborabat. Praeprimis quaeritur, utrum ille symptoma solum fuerit morbi jam exorti, an ejus oppressio causa. Quum constet, suppressionem excretionis solitae, et in specie fluoris albi, scirrhum nasciturum non raro provocasse, neque altera in hoc casu adfuerit causa, fluor albus ille primus accusandus esse videtur. Scirrhi saltem jam exorti symptoma nullo modo erat,

qui enim tam facile non suppressendus, suppressus autem brevi tempore redux fuisset. Fluor albus vero anno praeterlapso regrediens, malignus, pudendi regionem corrodens tamque pertinax, ut ad hunc diem perduret, ab initio morbi jam erupti comes fuisse videtur.

### PROGNOSIS.

Quum diagnosi nomen morbi significatum sit, cui nec artis nec naturae auxilium esse soleat, de prognosi non verba faciam. Multa quidem remedia a variis laudantur interna et externa, quae scirrhum resolvant atque curent, sed novissimis praesertim temporibus edocti sumus, nulli eorum esse fidem. Maxime adhuc discrepant opiniones de eventu exstirpationis. Multi scirrhum hoc modo e radice sanatum esse contenderunt, ut Richter, B. Bell et alii, multo major eorum numerus est, qui et hoc remedium valde anceps nominant, ita ut credere possis, illos, instituta operatione, aegrotum non satis longum tempus observasse aut tumores alius generis scirrhum habuisse. Scirrhi autem redeuntis quae causa sit, dicere non audeam; sed non omnes fortasse partes degeneratae cultro amoveri possunt, aut jam initio morbi dyscrasia adest universalis.

Quibus consideratis, aegrae nostrae non aliam prognosin esse credo nisi malam. Ponas etiam, primum scirrhi stadium esse sanabile, nobis tamen jam signa adsunt carcinomatis brevi erupturi. Febris lenta, quae hucusque deficit, totaque aegrae conditio non plane mala adhuc sperare jubent, fore ut vita per aliquod tempus reservanda sit; sed tumor jam hodie discolor propagabitur, rectum fortasse ipsumque uterum attinget, haemorrhagiae repetentur, vires evanescent. Quibus factis, finis miserrimus haud procul erit.

#### CURA.

Quamquam prognosis ea est, quae modo perpauca sperari jubeat, ne vero omnia remedia omnino repellantur. Ea quidem indicatio, quae plurimis morbis prima atque summa est quaeque causas tendit, nullo modo respicienda erit; neque vero cura sola sit palliativa. Adhibeantur prius remedia a medicis celeberrimis huic morbo laudata. Exstirpationem ipsam non prorsus rejiciendam esse credo. Quum autem operatio, in hoc stadio perfecta, non raro celeriter carcinoma eoque modo mortem provocaverit, ne prius ea instituat, quam tumoris progressum aliquamdiu observaverimus. Qua de causa prius



interna adhibita sunt et externa: Applicatio hirudinum, tumore valde dolente, pluries repetita, cataplasmata narcotica atque injectiones in vaginam immissae, multaque medicamina, quae praetermitto, per plures hebdomades administrabantur. Quibus vero omnibus adhibitis, tantum aberat, ut malum regrederetur, ut potius scirrhus in carcinoma transire inceperit. In tumore medio ruptura et inde excavatio oriebatur, cui duo facillime digiti immitterentur. Exploratio, quoties hoc tempore institueretur, excretionem copiosam, ichorosam, foetidam, sanguine immixtam provocavit. Dolores imprimis tempore nocturno vexant aegram et somnum exoptatissimum fugant. Summa virium prostratio apparet, appetitus deficit, e cibis sumptis magna molestia exoritur. Indies crescunt dolores, haemorrhagiae nonnullae jam redierunt, effluxus e vagina nunquam cedit. Malum etiam locale non quiescit, partes enim vicinas magis magisque arripiens brevi tempore ad intestinum rectum prorepserit, ita ut, ne ruptura oriatur inter vaginam et rectum, valde timendum sit. In hoc vero statu miserrimo, remediis omnibus frustra adhibitis, ultimum unumque videbatur — exstirpatio, quae fortasse pro tempore dolores mitigare et mortem remove-re posset. Quae igitur constituta et hoc modo perfecta est:

Clysmatibus antea alvo laxata, aegrae inter operationem talis adordinabatur situs, ut pelvis cetero corpore altior esset; femora extendebantur, vagina et orificium ani in mensae margine erant collocata, ita ut situs ille esset, quem aegroti inter operationem lithotomiae habere solent. Nunc ope scalpelli incisio pollicem unum et dimidium longa, verticalis, latere dextro in perinaeum facta et tunc provide, digito saepissime partes degeneratas investigante, tumor a partibus adhaerentibus dissolutus est. Omne degeneratione correptum prorsus amovere summa fuit indicatio, quo factum est, ut vaginam inter et intestinum rectum paries modo angustissimus remanserit. Operatio, etsi maximam requirens providentiam, celeriter tamen ac feliciter perfecta est. Aegra, quae summa cum patientia atque quiete totum operationis actum toleraverat, in lectum reposita plures statim horas somno longum tempus frustra exoptato fruebatur. Expergefata fere nullos sensit dolores et somno tantopere recreata fuit, ut laeto animo sanam se omnino redditam nominaverit. Eventus etiam operationis hucusque omnino faustus esse videbatur. Dolores aegrae nondum redeunt, noctes post institutam operationem omnes quiete peregit, appetitus eorum ipse jam rediit. Granulatio vulnera tegens

per plures hebdomades optima erat, ita ut non parva restitutionis spes adesse videretur. Repente autem et inopinato modo tempore nocturno ruptura orta est inter vaginam et intestinum rectum, qua sanguinis parva copia profluit. Partes, in quibus ruptura erat, exploratae mali denuo exorti magnam dederunt suspicionem, quae quidem suspicio paulo post omnino confirmata erat. Granulatio bona totius vulneris evanuit et celerrime ulcus adfuit majus, quam antea, cancrorum. Remedia, nunquam antea seposita, frustra nunc administrabantur. Conditio corporis ab hoc tempore magis magisque depravatur, vires prolabuntur, dolores vehementissimi apparent, febris lenta se adjungit, ut brevi dicam, totus organismus mali est particeps. Omnis nunc mali amovendi spes evanuit, cura sola palliativa indicata fuit. Inter symptomata graviora unum imprimis exstat: dolores vehementissimi, qui ut mitigentur, unicum sed magnum adhibuimus remedium — opium ejusque praeparata. Natura autem huic sensim remedio tantopere adsueta erat, ut vix credas, quantam dosin aegra perferre potuerit. Sed indies, etsi per duos adhuc menses aegrae vita servaretur, mala crescebant, glandulae inguinales, praesertim lateris sinistri, quamquam scirrhus antea non occupatae fuerant, exulcerari inci-

piebant, oedema pedis sinistri oriebatur, ut brevi dicam, aegrae conditio ea erat, ut mortem ipsa valde exoptaret, cui revera non amplius diu resistere potuit, sed in tabem sensim resoluta, tribus fere mensibus post operationem praeterlapsis, diem obiit supremum.

### OBDUCTIO CADAVERIS.

Cadaveris dissectio tertio post mortem die instituta haec ostendit:

Totum corpus tanta macie peremptum est, ut scelerum quasi, cute sola obtectum, videre putares. Facies mortuae effigiem praebet feminae anno circiter aetatis quinquagesimo mortuae. Adaperitis thoracae abdomine viscera nullam fere anomaliam ostendunt quoad structuram, colorem, volumen. Pulmones omnino sani, in quibusdam autem locis cum pleura costali cohaerentes. Ventriculus, tractus intestinalis, glandulae mesaraicae immutatae, hepatis vero parenchyma albidum. Tubercula neque in thorace neque in abdomine adsunt, quod ea causa memoratu dignum est, quia juxta degenerationem vaginae scirrhosam tuberculum sic dictum verum inventum est. Sed aggrediar ad ipsum locum affectum. Vagina simul cum utero, intestinum rectum et vesica urina-

ria, ut melius adspicerentur, cautissime e pelvi se-  
cabantur. Paries vaginae anterior et lateralis dex-  
ter hucusque sani sunt, paries autem posterior et la-  
teralis sinister permagnam praebent exulcerationem,  
in qua nonnulla loca segregata quasi ulcera sunt,  
quae marginibus crassis circumdata fundum habent  
profundiorem. Eorum unum eo loco, quo statu na-  
turali frenulum adest vaginae, jamjam anteriorem in-  
testini recti parietem deleverat, ita ut cloaca sicuti  
avium adsit. Uteri fundus et corpus nondum occu-  
pantur, sed portio vaginalis justo major est et pau-  
lum dura. Vesica urinaria normalis. Ovaria paulum  
tument, ceterum sana. Labia pudendi majora (mi-  
nora simul cum clitoride jam fuerunt deleta) dura,  
quasi lapidea, et cultro dissecta hanc praebuerunt  
structuram: Fibrae albae et horizontales et per-  
pendiculares percurrunt tumorem. In interstitiis hoc  
modo ortis materies invenitur oleosa, glutinosa, gra-  
nulis separatis immixta. In regione inguinali sinistra  
bubo adest, qui dissectus nil indurationis scirrhosae  
ostendit. Glandulae inguinales lateris sinistri exul-  
ceratione occupatae sunt, quae quidem in ipsum fere  
abdomen penetrant. Juxta tuberositatem ossis ischii  
sinistri alter est tumor magnus, qui, multo mollior,  
consistentiam praebet pultis crassioris. Qui cum

cultro aperiatur, non effundit, ut putavimus, ichorem, sed massam caseosam, quae in vitrum aqua plenum immissa fundum petit et nullo modo a materia illa differt, quae in phthisi tuberculosa pulmonum tussi ejicitur. Excavatio etiam tuberculosa tunica intus circumdata est propria, pallida, fibrosa. Nusquam vero, neque hoc neque alio corporis loco tubercula plura inventa sunt.

---

## EPILOGUS.

---

**S**cirrhus qui dicitur morbus non in omnibus corporis humani telis sedem habere videtur primitivam. Musculi enim locomotorici, tendines, cartilaginee et membranae serosae via solummodo secundaria occupantur; glandulae autem, systema lymphaticum (1), tela cellulosa, cutis, ossa, nervi omnesque membranae mucosae scirrhi primariae sunt sedes (2). In telis vero singularibus, quas scirrho faventes nominavi, nonnulla semper loca atque regiones excellunt, quae

---

(1) In glandulis lymphaticis scirrhum nunquam gigni posse ac procedere, Scarpa (Memoria sullo scirrha e sul cancro. Milano 1821.) quidem contendit, cui vero observationes de Waltheri, (über Verhärtung, scirrhus etc. im Journal für Chirurgie und Augenheilkunde, Bd. V., St. 5., S. 202) Kleinii, (chirurg. Bemerkungen. Stuttgart 1801. S. 262.) Homei (observations on cancer. London 1805.) aliorumque omnino repugnant.

(2) Lobstein. Lehrbuch der pathol. Anat. p. 348.

prae ceteris ejusdem systematis locis degenerationi scirrhosae succumbere solent.

Quum autem scirrhi vaginae observatio praemissa sit, telas praetermittens ceteras, de scirrho solo membranae mucosae paulum tractabo, et quidem, quasnam ejus regiones ille imprimis tangere soleat quaeque causa sit. Perscrutemur ideo canales variasque corporis vias, membrana mucosa indutas.

Organa respirationis fere nunquam degeneratione scirrhosa, sed plerumque tuberculosa occupantur, laryngis etsi et tracheae scirrhus interdum observatus sit. Narium vero (quem hoc loco affero) scirrhus saepissime occurrit; mucus enim hic secretus, facillime se inspissans eo magis, quo irritatio adhuc digito saepe admoto additur, inter causas numerari poterit. Conjunctus interdum apparet cum labii scirrho, et quamquam e cute nares tegente non raro originem duxerit, plerumque tamen tunicam Schneiderianam occupare solet. Organa uropoetica raro admodum scirrhi sedes inveniuntur, sed degenerationes scirrhosae organi alicujus vicini: prostratae, uteri, inter periodum praesertim ulcerationis, interdum in illa propagantur (1).

---

(1) Meckel. Handbuch der pathol. Anatom. p. 367.



Partes scirrhi sede frequentissima excellentes haberi debent tractus intestinorum et organa genitalia.

### CANALIS CIBARIUS.

Perscrutanti mihi canalem alimentarium tres praecipue regiones occurrunt scirrho faventes: os, ventriculus atque intestinum rectum. Inter oris partes excellent labia et lingua, cujus causa haberi posset motus eorum perpetuus, profluvium salivae, dens ququam prominens eoque modo irritans. Cur labium inferius multo frequentior scirrhi adspiciatur sedes, quam superius, causam adferre nequeo, nisi ea observatio respicienda sit, illorum labia saepe inveniri scirrhosa, qui usu nicotianae dilectantur, ita ut labium fumisugio, praesertim argillaceo, perpetuo premant. Dorsum etiam linguaeque pars inferior apice ac margine rarius occupantur.

E ventriculi regionibus cardia imprimis et pylorus scirrho arripiuntur, fere nunquam fundus ceteraque organi hujus partes. Cardiam iterum antecellit pylorus, propter glandulas hoc loco magnas et frequentes (1). Neque autem raro et cardiae et pylori

---

(1) Meckel. Handb. der path. Anatom. pag. 358.

scirrhus in ipsum ventriculum propagatur, praecipue in partem ejus superiorem (1). Scirrhorum ventriculi permultae enumerantur causae: functio nervorum hujus organi laesa (2), inflammatio chronica, quam Francogallorum medici Broussais, Andral, Louis prae ceteris accusant; magnae praeterea animi intentiones, pervigiliae, curae, laesiones atque irritationes, praesertim spirituosorum abusus. Ventriculi deinde scirrhus plerumque magnam ostendit dispositionem hereditariam, quo quidem interdum plura ejusdem familiae membra multis ex annis interiisse observatur.

Etsi omnes fere tractus intestinorum partes degenerationi scirrhosae succumbant, rarius tamen occurrit in intestino tenui et superiore parte crassi, partem vero crassi inferiorem saepe scirrhus invadit. Cujus observationis haud paucae rationes aetiologicae enumerari solent: Inter excretionem alvi sphincter ani faecibus excernendis, corporibus haud raro alienis fructuum nucleis etc., immixtis, oppositionem praebet, quo fit, ut recti parietes saepe irritentur. Praeterea rectum mariscis interdum et condylomatibus constri-

---

(1) Meckel l. c. p. 360.

(2) Prus. Neue Untersuch. über Natur und Behandlung des Magenkrebses. Aus d. Franz. v. F. A. Balding. Würzburg 1829.

ctum est; corpus aliquod alienum inferiore recti parte saepe retinetur atque includitur; quibus omnibus constat dispositionem esse adauctam. Recti scirrhus in mulieribus quam in viris multo frequentior observatur. Hedenus, filius proportionem 10:1 posuit. Causa quidem observationis non satis cognita est, major autem corporis muliebris propensio ad gignenda pseudoplasmata adferri posset. Praeterea ne obliviscamur, rectum utero gravido longum tempus compressum atque coarctatum haud parum infestari multoque insuper majorem quam viri rectum glandularum tenere copiam.

### ORGANA GENITALIA.

Organa genitalia, tractu fortasse intestinorum excepto, prae ceteris scirrho favere videntur, cujus rei causas praecipue exposuit de Walther (1). Liceat igitur verba ejus adponere: »Das eigenthümliche Verhältniß des Sexualsystems zu der Totalität aller übrigen organischen Systeme und zu jedem einzelnen, auf welches dasselbe während einer bestimmten Lebensperiode einen so wichtigen und beherrschenden Einfluß ausübt, worauf dieses System aber

(1) Ueber Verhärtung, scirrhus etc. im Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. V. St. 5.

früher als die übrigen unthätig wird — die Naturwidrigkeit der menschlichen Sexualverrichtungen, welche, statt unter der Herrschaft eines periodisch erwachenden, sonst aber in der Zwischenzeit schlummernden Naturtriebes zu stehen, ein Gegenstand der willkürlichen Erregung durch bloße Sinneslust, oft sogar der Laune, des prostituirten Gewerbes und künstlicher Aufreizung sind — das in dem Unterschied der Lebensjahre und andern Umständen gegründete, so häufig vorkommende Missverhältniß der respectiven Sexualthätigkeiten zwischen zwei in der Ehe lebenden Individuen sind als hierher gehörige genesiologische Momente anzuerkennen.« *Partes vero singulares systematis sexualis scirrhi sede excellentes (mamma atque testiculo praetermissis) penis sunt, uterus et vagina. Causarum scirrhi hisce locis orientis primae nominantur omnia, quae irritamentum adhibent. In pene: Colluvies inter glandem et praeputium, coitus frequentissime exercitus, masturbatio etc. In genitalibus muliebribus: irritationes inter partum, pessaria non apte constructa, injectiones frigidae, irritantes etc.*

Quas si omnes causas irritamentum harum partium exercentes insuperque scirrhi earum frequentiam contemplamur, non amplius fere dubitandum est,

quin irritationes mechanicae haberi debeant praecipuae scirrhi causae. Cui etiam rei illa observatio, a multis facta, omnino consentit, vaginae scirrhum collique uteri in puellis publicis, quam in mulieribus honestis, multo frequentius observatum esse. — Inter causas minus locales numerantur: excretionum suppressio solitarum, praesertim fluoris albi atque mensium, sudoris pedum etc. Memorandi adhuc dignum habetur, quod etiam genitalibus mulierum quam virorum, multo major insit dispositio, cujus princeps nominatur causa: nisus formativus genitalium muliebrium major (1). Plerumque enim degeneratio scirrhusa ea aetate exoritur, qua mammarum excretio lactea uterique sanguinea evanuit, quae quidem excretiones scirrhis nascituris hucusque derivationem fortasse praebuerant.

Scirrhi autem atque indurationes vaginae et uteri certe multo adhuc plures observarentur, si exploratio interna in morbis genitalium saepius institueretur. Haud raro evenit, ut mulieres, quae aliis morbis laborabant iisque interiisse videbantur, simul degeneratione genitalium scirrhusa affectae fuissent. Haud pauca enim exstant exempla, longum tempus

---

(1) Meckel, Pathol. Anat. pag. 362.

jam perdurasse scirrhum, antequam medicus eum aut ipsa aegra percepisset. Hujusmodi casum enarrat Most (1): Mulieri cuidam negotia adhuc solita tractanti retentio urinae cum febris conjuncta apparuit. Exploratione instituta, vagina, collum uteri et intestinum rectum duritiem praebuerunt lapideam, et inter solam explorationem, nunquam alio tempore, sanguis profluit e vagina.

---

(1) Medic.-chirurg. Encyclop. Vol. I. p. 175.

---

---

## V I T A.

---

**N**atus sum ego, *Mathias Cruse*, *Horstmariae*, *Guestphaliae* oppido, anno hujus saeculi duodecimo patre optimo *Joanne Theodoro*, cujus mortem praematuram valde lugeo, matre carissima *Maria Anna*, e gente *Kroos*. Fidem confiteor catholicam. Me infante pater domicilium posuit *Nouttlo-nae*, *Guestphaliae* pago.

Primis litterarum elementis in pago vicino ab avunculo maxime de me merito, proh dolor! defuncto, instructus, *Gymnasium Carolinum Osnabrugense*, cui *Cel. Georgi* praeerat, per triennium frequentavi. *Gymnasium* dein adii *Monasteriense*, quod *Cel. Nadermann* directore floret, in quo annos quatuor iis litteris eruditus sum, quibus scholarum alumni institui solent.

Testimonio maturitatis instructus civibus academiae *Monasterii* florentis adscriptus per semestre scholas, quae ibi habebantur de rebus philosophicis, frequentavi hasce: *Ill. Esser* de logica; *Clar. Schlueter* de psychologia; *Beat. Bodde* de chemia; *Ill. Rohling* de astrognosia.

Vere incunte anni *MDCCLXXXII*. *Almam Rhenanam* petii, ibique a *Beat. Diesterweg*, t. t.

rectore magnifico, inter cives academicos, ab Ill. Nasse, t. t. decano spectabili inter medicinae studiosos receptus per annos tres, quos Bonnae commemoratas sum, hisce praelectionibus interfui:

Ill. Mueller de encyclopaedia ac methodologia artis medicae; Ill. a Calker de logica et psychologia; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. Bishoff de chemia et physica experimentalis; Ill. Mayer et Ill. Weber de anatomia et de arte cadavera rite dissecandi; Ill. Harless de pathologia generali; Ill. Mayer de physiologia et de anatomia comparata; Ill. E. Bischoff de materia medica et de arte formulas rite conscribendi; Ill. Albers de pathologia speciali et de pathologia et therapia morborum syphiliticorum; Ill. Wutzer de chirurgia, akiurgia, de morbis oculorum et de arte fascias applicandi; Ill. Nasse de therapia generali et speciali et de physiologia cerebri; Ill. Kilian de arte obstetricia et de morbis mulierum; nec non per semestre exercitationibus clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis, duce Ill. Wutzer interfui.

Mense Majo anni praeterlapsei Berolinum me contuli et ab Ill. Steffens, t. t. rectore magnifico almae litterarum universitatis civibus et ab Ill. Busch, t. t. decano spectabili, medicinae studiosis adscriptus hisce interfui exercitationibus clinicis: Ill. Bartels, Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Rust, Cel. Barez, Ill. Juengken, Cel. Dieffenbach.

Praeterea per annum stipendia merui, viro doctissimo Kops duce medici inferioris legionarii munere fungens.

Quibus omnibus viris maximam quam possum gratiam habeo semperque habebo.

---



## T H E S E S.

1. Scirrhus non est morbus localis.
2. Amputatio mammae carcinomatosae rejicienda.
3. Apoplexia serosa non exstat.
4. In homoeopathia cura in causam non invenitur.
5. Febres sine materia non existunt.
6. Amputatio penis ligaturae praeferenda est.